



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De  
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione  
Hominis, Ac Merito

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1621**

Cap. XIV. Vtrum status gratiæ in operante sit conditio ad meritum de  
condigno necessaria?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

Probat  
interuenire  
etiam tunc  
libertatem.

aut posse bene fieri, quando sine coactione fit: sed co-  
actio, vel timor non potest efficaciter auferre à tali o-  
pere illas duas condiciones ad meritum necessarias,  
libertatem, scilicet, & honestatem. Probat prior  
pars de libertate, quia etiam si metus directe immit-  
tatur propter tale opus, simpliciter non cogit volun-  
tatem, vt faciat, vt per se notum est: ergo simpliciter  
manet operatio libera. Neque obstat inuoluntarium  
secundum quid quod ibi miscetur, & illa conditione  
explicatur: *nisi cogere, non facere*, quia in primis hoc  
non excludit, quominus illa voluntas, absoluta, &  
sufficienter libera sit, deinde potest homo pro sua li-  
bertate non habere illam conditionatam volunta-  
tem, quia neque ad illam cogitur, aut inde habet ne-  
cessitatem, imo potest homo, si velit contrarium  
propositum habere, scilicet, *Etiam si non cogere, facere*.

Facere opus  
consilij ob  
timorem ab  
homine non  
obstat me-  
rito.

Adde præterea, quamuis homo illam conditionalem  
voluntatem actu habeat, non ideo priuari merito  
alterius boni si supponamus, tale opus tunc non ca-  
dere sub præceptum, sic enim illa voluntas conditiona-  
lis tunc de se non est peccaminosa, & ideo impedire  
non potest, vel bonitatem, vel meritum alterius ab-  
solutæ, & efficacis voluntatis, quam homo habet ef-  
ficiendi in tali occasione tale opus bonum. Multis e-  
nim alijs exemplis ostendi potest, similem conditiona-  
tam voluntatem meritum non impedire, vt si  
quis velit absolute seruare præceptum ieiunij, etiam  
si hanc habeat voluntatem, *Si non esset præceptum, non ie-  
iunarem*, meritum suum non amittit.

6. Probat  
deinde inter-  
uenire quo-  
que bonita-  
tem.

Et hinc facile patet altera pars de bonitate, nam  
etiam si metus sit ea intentione immixtus, non de-  
trahit in opere sic facto bonitatem obiecti eius, nec  
addit actui aliquam malam circumstantiam, nam il-  
lud malum, quod caueri intenditur, faciendo opus  
bonum, eiusdem rationis est, etiam si tali intentione,  
vel alia coactio inferatur. Et exemplis facile potest  
declarari, nam filius, vel famulus, qui audit Missam,  
ne incurrat conminatam penam, si non audierit,  
nihilominus si id faciat modo debito, & in cultum  
Dei, nihilominus opus virtutis, ac meritum facit.  
Quod si fortasse simul habeat hanc deliberatio-  
nem, quod non audiret, si non timeret penam, & co-  
actio fiat, & ab illo, qui non potest sub præcepto obli-  
gare ad Missam, & eo tempore, pro quo non est in  
præcepto, tunc, vt dixi, illa voluntas per se non est  
mala, & quamuis facile possit esse otiosa, non tamen  
est circumstantia alterius operis, sed ad summum  
concomitans, & ideo non auget alterius actus bonita-  
tem, & ideo neque meritum simpliciter impedit,  
quamuis possit illud minuere, voluntatem, seu co-  
natum eius minuendo.

10. Ad argum.  
in num. 1.

Atque ita facilis est responsio ad rationem dubi-  
tandij, iam enim ostensum est, quomodo in illo opere,  
nec bonitas, nec libertas sufficiens desit. Nam licet  
tale opus fiat propter vitandum aliud malum, nihil-  
ominus fieri potest propter intrinsecam bonitatem,  
si illam non habeat, quia metus non impedit talem  
modum volendi, & operandi. Quod si opus non sit  
ex obiecto bonum, dummodo turpenon sit, po-  
test ad honestum finem ordinari, quia ipsa vitatio  
mali, propter quam fit, potest ex honesta causa inten-  
di, vt declarauimus. Neque obstat conditionata vo-  
luntas, vt dixi, tum quia potest interdum non haberi,  
& sola præsumptio, vel euentus sub conditione futu-  
rus non refert ad meritum, vel demeritum, si præ-  
sens voluntas deit, tum etiam, quia licet de facto ha-  
beatur, potest non esse mala, nec impedire volunta-  
tem bonam, vt etiam declarauimus. Quod si contingat  
voluntatem illam esse de actu pro tunc præcepto, ac  
proinde malam, illa ex alio capite impedit meritum,  
quia & est graue peccatum, & repugnat boni-  
tati operis: nam licet materialiter bonum sit, non po-  
test cum tali voluntate fieri, quatenus honestum est.  
Denique ad alteram partem de libertate negatur, il-  
lum modum libertatis, vel bonitatis non sufficere, vt

Deo sit acceptabile meritum: tum quia illud non est  
obsequium simpliciter coactum, sed ad summum se-  
cundum quid: tum etiam (quod notandum est) quia  
coactio humana etiam secundum quid, & per me-  
tum non cadit in actum internum, nisi quasi mate-  
rialiter, vt sic dicam, vel generatim ad actum volun-  
tatis, qui ad illum actum externum sufficiat, siue bo-  
nus, siue malus sit. Quod ergo stante metu homo de-  
bito, & honesto modo velit facere illud opus, hoc  
certe mere liberum, & voluntarium est, & ideo qui  
sic operatur, non potest dici omnino ex necessitate,  
aut inuitus bene operari. Per quod etiam testimo-  
nijs inductis satisfactum est.

## CAPVT XIV.

*Vtrum status gratia in operante sit conditio ad me-  
ritum de condigno neces-  
saria?*

Hactenus explicuimus condiciones ex parte ope-  
ris ad hoc meritum: necessarias, nunc dicendum se-  
quitur de conditionibus, quæ ex parte personæ op-  
rantis postulancur, & quibus dux sunt præcipuæ, sci-  
licet, status gratiæ, & status viæ, de quibus in hoc,  
& sequenti capite dicemus. In questione igitur pro-  
posita fuit noua opinio Michaelis Baij, vt supra retu-  
limus prolegom. 6. capite secundo, cuius propositio  
decima tertia hæc erat: *Pelagij sententia est, opus bonum  
citra gratiam adoptionis factum, non est regni celestis me-  
ritum, & in 16. dicit, rationem meriti non consistere in eo,  
quod qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem  
Spiritus sanctum, sed in eo solum, quod obediat diuina legi,  
& in 18. dicit sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium  
ad rationem meriti, vt homo per gratiam adoptionis sublime-  
tur ad statum Deificum. Et eandem doctrinam sæpe re-  
petit in suis libris, vt in Bulla Gregorij XIII. contra  
illum refertur. In qua sententia præter nouitatem,  
singularitatem, & falsitatem doctrinæ, illud ad mira-  
tionem dignum videri potest, quod dixerit, cum Pela-  
gio sentire, qui statum gratiæ, & adoptionis filiorum  
Dei ad meritum de condigno postulant. Nam Pelag.  
non solum non tribuebat huic gratiæ meritum vitæ  
æternæ, verum potius neque illam agnouit, neque et-  
iam auxiliantem gratiam ad tale meritum necessariam  
esse credidit, vt supra Prolegomen. 5. vidimus: Baius  
tamen procedit ex alio errore tacto supra Prolegom. 4. capite primo  
putauit enim homini non fuisse cessit. Ex quo alio  
errore pro-  
cessit.*

peccato, credidit, naturæ humanæ ex vi suæ primæ  
creationis esse debitam vitam æternam, ita vt acce-  
ptari ad illam non sit gratia, seu gratuita adoptio, sed  
naturale donum, & quia Pelagiani non adeo erra-  
runt, vt negarent esse necessariam paruulis adoptio-  
nem, quamuis negarent habere peccatum, ideo dixit  
cum Pelagianis sentire, qui hanc adoptionem gratiæ  
dicunt esse ad meritum necessariam. Ipse enim ex cō-  
trario principio intulit, hominem in pura natura  
conditum potuisse mereri vitam æternam sine gra-  
tia adoptionis, & (quod grauius est) idem nunc dicit  
de homine peccatore, ait enim de catechumeno in  
propositione 19. mereri de condigno vitam æternam,  
priusquam remissionem peccatorum obtineat, quam-  
uis illam non sit consequuturus, nisi prius præce-  
dentium peccatorum impedimenta tollantur. Pela-  
gius vero licet gratiam adoptionis, quatenus per Ba-  
ptismum datur aliquo modo concesserit, vt constat  
ex Augustino libro sexto, contra Iulian. capite quin-  
to, aliàs nono, tamen in adultis non videtur credidisse  
illam gratiam esse necessariam ad meritum, sed  
potius credidit posse comparari per meritum ope-  
rum, quæ solis viribus liberi arbitrij fieri posse existi-  
mauit. Sed contra hunc errorem, quatenus negabat  
necessitatem auxiliorum gratiæ, satis dictum est in  
supra.

superioribus, nunc vero tantum de necessitate gratiæ habitualis, ad meritum tractamus.

2. Potest autem illa sententia, quatenus necessitatem huius gratiæ ad meritum negat, fundari primo, quia ad meritum solum consideranda est iustitia operis, & bonitas eius, ut habet quandam proportionis æqualitatem ad præmium, opus autem eandem bonitatem, & proportionem habet ad præmium, siue fiat ab homine peccatore, siue iusto: ergo æque meritorium erit. Et confirmari hoc potest primo ex Scripturis, quæ operibus ipsis præmium promittunt sine ullo effectu ad statum gratiæ operantis, ut ad Roman.

2. *Factores legis iustificabuntur*, & ibidem: *Reddet vnicuique secundum opera eius*, & alij, quæ infra tractando de hac promissione referemus. Et in eis ponderari potest, quod eodem tenore bonis, & malis operibus præmium, vel poena repromittitur, sed in malis operibus demeritum consideratur ex qualitate operis siue persona sit iusta, siue iniusta: ergo idem dicendum est de bono merito. Secundo addebat Baius quædam

3. loca Augustini, in suæ sententiæ confirmationem. Vnus in libro i. de Liber. arb. cap. 6. ubi ait, præmium, & poenam operum ex ea lege naturali descendere, quæ iustum est, ut omnia sint ordinatissima, nam ad hunc bonum ordinem pertinet, ut bonis operibus præmium, & malis poena retribuitur. Hæc autem lex ædionaturalis est, ut ex adoptione filiorum Dei non pendeat, sed prior sit illa. Alius locus est ex libro de Natura, & gratia capit. 2. ubi Augustinus ait, quod si homo lapsus posset suis viribus, & sine fide adimplere legem, & id faceret, posset de præmio vitæ æternæ esse securus, quia non est iniustus Deus, *Qui iustos fraudet mercede iustitiæ*: ergo intellexit Augustinus, sola opera sufficere ad præmium, si fiant, etiam ab iniquo, qualis est homo lapsus. Quod si Augustinus illam sententiam profert ex sola hypotheti observationis legis, etiam si solis viribus liberi arbitrij fieret, multo magis eam doceret de operibus factis ex spiritu fidei, etiam si ab homine peccatore fiant.

3. Nihilominus veritas certa, & Catholica est, siue statu gratiæ non esse in homine meritum de condigno præferim vitæ æternæ, ut autem illam distinguamus, distinguamus hoc meritum quatenus problemus, distinguamus hoc meritum quatenus esse potest in homine lapso, siue per originale, siue per actuale peccatum, vel quatenus in homine in natura sine peccato condita, vel in Angelo esse potest. Quia non videtur in utroque merito assertio æque certa. In primo ergo sensu tractatur questio præcipue à Theologis, & ita probatur primo eorum auctoritate: nam illam tradit D. Thomas in dicta q. 1. 4. ar. 2. quam ibi omnes moderni scriptores sequuntur, & reliqui Scholastici amplectuntur in secundo dist. 24. 27. & 29. quæ consensus magnam certitudinem veritatis ostendit. Secundo probatur auctoritate Pij V. & Gregorij XIII. Sententiam Baii damnantium. Præterea probari potest ex Concilio Arausicano cano. 18. dicente. *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia præcedit, ut fiant*. Sed in hoc testimonio incertum esse potest, an de gratia habituali loquatur, nam videtur potius de auxiliante loqui, quamvis non videam, cur non possit de utraque intelligi. Et ex nomine mercedis, potest non leue argumentum sumi, ut infra dicam. Præcipue vero probatur assertio ex Concilio Tridentino, nam eandem veritatem supponit, & confirmat in dicta sessione 6. capit. 16. ubi acturus de merito, sic incipit. *Hæc igitur ratione iustificatis hominibus proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono &c.* Vbi aperte supponere videtur, solum hominem iustificatum esse capacem veri meriti simpliciter, de quo ibi loquitur, quale tantum est meritum de condigno. Deinde eosdem iustificatos intelligit, cum inferius subdit, *bene operantibus usque ad finem*, proponendam esse vitam æternam, ut hereditatem, & ut mercedem, ac coronam iustitiæ. Quod satis declarat inferius dicens. *Cumque ille ipse Christus Iesus, ran-*

quam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem infundat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent, nihil ipsi iustificati amplius desse credendum est, &c. Ex quo contextu manifeste constat in solis iustificatis agnoscere Concilium omnia ad meritum requisita, & primum, ac veluti fundamentum illorum esse, quod sunt uniti Christo tanquam vitæ palmiti, quæ vni per fidem vitam, atque adeo per gratiam fit. Denique in canone 21. solum definit, hominis iustificati bona opera, ita esse donâ Dei, ut sint etiam ipsius iustificati merita. Non ergo agnoscit Concilium meritum, nisi in operibus hominis iustificati: nam licet non addat expresse exclusivam, cum tamen doctrinam Catholicam tradendo, & definiendo semper cum illa limitatione loquatur, pro his, qui Catholicæ sententiæ volunt, satis profecto aperte docet, non posse hominem mereri apud Deum, nisi prius iustificetur.

Quarto probanda est hæc veritas ex Scripturis, nam ex illis sine dubio Concilia, & Theologi hæc veritatem acceperunt, & in primo probari potest ex illo ad Galat. 5. *In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque preputium*. Sed fides, quæ per charitatem operatur, & ex illo 1. ad Corinth. 13. *Si charitatem non habeam, nihil sum & quicquid fecero, nihil mihi prodest*. Ex his enim, & similibus locis colligunt Patres, & Theologi, quos supra ca. 7. citavi, charitatem esse omnem meritum fundamentum, seu, ut dixit Prosper, *esse animam sanctarum mentium*. & causam meritum bonorum: at vero charitas esse non potest sine gratia: ergo. Præterea est optimus locus ad Rom. 8. ubi Paulus inquit. *Spiritus tuus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei si per. cõem. autem filij, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, subiungit tamen conditionem: dicens: Si tamen compatimur, & ut glorificemur*, per quam docet, quod licet iustificatis debeatur illa hereditas tanquam filiis: nihilominus oportere, ut illam etiam tanquam coronam iustitiæ promerentur. Ut autem ostendat, hoc etiam esse proprium filiorum, adiungit. *Existimo enim, quod non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. In quibus verbis causam reddit, ob quam nullus potest de condigno mereri gloriam futuram, nisi qui fuerit in filium adoptatus, nimirum, quia passiones huius temporis per se spectatæ non haberent condignitatem ad illam gloriam, qui spiritu Dei acti (ut ibidem dicit) Christo compatiuntur. Sentit ergo Paulus, necessariam esse gratiam, per quam iusti adoptantur in filios Dei ad merendum de condigno.

His addi possunt omnes promissiones vitæ æternæ, quæ in Scriptura frequenter fiunt: nam illæ solum iustificatis fiunt, & hæc ratione vita æterna vocatur ad 4. promissio. hæreditas, quia solis filijs promittitur: ergo meritum etiam illius gloriæ debet necessario in gratia, & filiatione promissione diuina fundari. Probatur consequentia, tum quia hoc meritum etiam fundatur in promissione diuina, ut infra dicam, tum etiam quia meritum debet esse proportionatum mercedi. Si ergo in præmiu promittitur hereditas, etiam meritum debet esse filiorum, ut tales sunt: tum maxime quia alias oportet hominem mereri ipsam filiationem diuinam, quod impossibile est. Sequela declaratur, quia si potest aliquis mereri æternam vitam, prius quam sit in filium Dei adoptiuus, vel meretur adoptionem, per quam ad æternam vitam acceptetur, & ita sequitur illatum inconueniens, quod quam sit absurdum, postea videbimus: si autem non meretur adoptionem, habebit ius ad vitam æternam, etiam si non habet ius hæreditarium ad illam, quod est contra Scripturas citatas. Et præterea in statu naturæ lapsæ habet hoc peculiare repugnantiam, quia inter statum peccati, & gratiæ non est medium: ergo si potest quis acquirere ius meriti ad vitam æternam sine gratia, & sine merito illius, erit simul peccator, & habebit ius

ius ad vitam æternam, q. repugnat. Quod peccator ex merito suo dignus est priuari vita æterna: ergo fieri non potest, quod simul acquirat ius iustitiæ ad vitam æternam.

6. Et ita est obiter explicata ratio ad hanc partem probandam sufficiens, quia homo carens gratia, est in peccato, ac proinde in odio Dei: non potest autem mereri de condigno remissionem peccati sui, neque etiam potest simul mereri vitam æternam, & manere in peccato, ut probatum est: ergo nullo modo potest mereri vitam æternam de condigno. In qua ratione superest probanda illa prior pars minoris, quod peccator non possit mereri de condigno remissionem peccati mortalis. Sed de illa assertionem multa dicta sunt libro septimo ostendendo, non posse peccatorem suis actibus sanctificari, & libro octavo declarando, quomodo per illos disponatur, & infra de hoc puncto proprium caput instituemus. Adhuc tamen instabit aliquis, hoc discursu, ad summum probari, non posse peccatorem mereri de condigno vitam æternam, neque illa beneficia gratiæ, quæ cum peccato esse non possunt, super sunt tamen alia, quæ poterit de condigno mereri, ut augmentum fidei, vel spei, aut alia auxilia, quæ peccator potest recipere. Respondeo in primis, hanc regulam generaliter esse veram. Qui non potest mereri de condigno vitam æternam, nihil aliud de condigno mereri posse. Et similiter aliam regulam esse veram. Quisquis meretur aliquid de condigno, eodem actu meretur vitam æternam. Quas duas regulas tractando de præmiis meritorum fufius declarabimus. Nunc autem breuiter declarantur, quia quidquid mereri possumus de condigno præter vitam æternam, id præter beatitudinem essentialiam, vel est aliquid accessorium ad illam, ut est in vniuersum omnis gloria accidentalis, vel est aliquid prærequiritum, seu conducens ad consecutionem illius, ut est omnis gratia, quæ in statu viæ datur, vel ut pro illo iungetur ad consecutionem beatitudinis, vel ut in ipsa beatitudine permaneant. Nemo autem potest mereri accessorium ad vitam æternam, nisi hanc etiam possit mereri, quia accessorium sequitur principale, & sicut non fit, vel datur quasi per se, sed coniuncte, ut ita dicam, seu datur ut consequens vitam æternam, ideo non cadit sub meritum, nisi ut consequens ad meritum illius. Similique modo sicut omnis gratia datur propter vitam æternam, ideo nullus potest mereri gratiam, qui non possit mereri vitam æternam, & ideo ostendendo, sine gratia non posse aliquid mereri de condigno vitam æternam sufficiens, probatur nihil posse de condigno mereri. Addi præterea potest alia sufficiens ratio, quæ in hoc statu directè probat de quocunque præmio gratiæ communicabilis peccatori. Nam aliud est esse capacem in illo statu alicuius doni gratiæ, aliud vero est habere ius iustitiæ, ut sibi tale donum conferatur. Et primum non repugnat peccatori etiam in statu peccati manenti, ut in obiectione assumitur, & per se clarum est: secundum autem repugnat, quia cum peccator ratione peccati sit dignus priuatione omnis boni, & iustissime possit à Deo illo priuari, non potest simul comparare ius iustitiæ, ut aliquid huiusmodi sibi conferatur. Cum ergo meritum de condigno hoc ius secum afferat, repugnat esse in peccatore.

7. Tandem confirmatur ex Patribus. Atque hac de causa potest confirmari conclusio illis testimonijs Augustini, in quibus dicere solet, non posse nos operari iustitiam, nisi prius iustificemur, vel: br. de Spirit. & liter. capite 3. 8. & 9. & 19. & libro de Fide, & operibus capite 14. & concion. 36. in Psalmo 118. & in alijs locis sæpe in superioribus allegatis: nam in aliquibus eorum aperte loquitur de iustitia inhærente, quæ est principium operandi, ac proinde de gratia habituali, dicitque esse necessariam ad operandam iustitiam, non quia ad rectam operationem faciendam necessaria sit, sed quia ad merendum de iustitia apud Deum est necessaria. Atque ita pro-

fecto intellexit Prosper ad capit. Gallorum capite sexto, ubi sic inquit. Iustificatus homo (id est, ex impio pius factus) nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirit & meritum, & idem late prosequitur libro secundo, de Vocat. gent. capite octauo, alias secundo. Datur (inquit) vnicuique sine merito, ut de tendat ad meritum, & in fine capitis explicando, quid sit illud, quod datur, dicit esse semen Dei, per quod fructum afferre possumus, hoc autem semen maxime est ipsa gratia, ut sumitur ex primæ Ioannis tercio, de profectu autem, id est, de merito, ita Prosper subiungit. Qui quidem profectus ab illo est, qui dat incrementum, sed terra viuens, & de gratia iam imbre secunda habet, quod ab ipsa expectatur, ad id, quod accipit augendum. Atque ad hunc sensum, & sententiã confirmãdam optima sunt verba Cyrilli Hierosolymitani catechet. 16. ubi tractans verba Domini Ioannis 4. Aquam quum ego dabo ei fiet in eo fons aque salientis in vitam æternam. Et Ioannis 7. Qui credit in me, flumina de ventre eius exibunt aqua viua. Iaro declarat, cur gratia per metaphoram aquæ significetur, & in summa in hoc ponit analogiam, quod aqua de celo descendens vna cum sit, varios & admirabiles fructus profert, & addit. Sicut Spiritus sanctus cum sit vnus, & idem, & non diuisibilis, vnicuique diuidit gratiam prout vult, & quemadmodum aridum lignum aqua participans flores mittit sic & anima peccatrix per penitentiam Spiritu Sancto digna redditur iustitiæ acemos progenerat. Vbi post penitentiam, utique auxilio Dei factam necessariam existimat, Spiritum Sanctum per gratiam inhabitantem, ut homo opera iustitiæ apud Deum perficere valeat. Denique hac ratione Theologi omnes opera omnia etiam supernaturalia, quæ sine gratia habituali sunt, mortua vocant, quia cum per gratiam non viuificantur, etiam non possunt vitam æternam apud Deum mereri, de quib. multi intelligunt illud Apoc. 3. Scio operatua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es, esto vigilans, & confirma cetera, quæ mortua erant, non enim inueni opera tua plena coram Deo meo. Vbi omnes intelligunt, Episcopum illum Sardensem, quem Dominus reprehendit, non fuisse iustum, & ideo mortuum appellari, ac propterea reprehendi, quod haberet opera non plena coram Deo, quæ vacua erant merito apud Deum. Vt ergo opus etiam bonum apud Deum sit merito plenum, necessarium est, ut homo non sit mortuus, ac proinde ut per gratiam viuat.

8. Sed iam superest expendenda altera pars de homine innocente, ut fuit ante peccatum, & antequam iustificaretur, siue talis fuerit ordine temporis, siue nature rãtum, eademq. ratio est de Angelo. In illis enim non videtur procedere ratio facta, & consequenter nec testimonia, quæ de hominibus prout nunc nascimur, loquuntur. Quia in illis personis innocentibus licet fuerit necessaria gratia auxilians ad opus meritorium faciendum, non tñ ita videtur necessaria habitualis gratia. Et ratio est, quia auxilij necessitas est per se, & abstrahens ab hoc, vel illo statu personæ, ut opus sit proportionatum præmio, ut supra probatum est. At vero gratia habitualis in nobis maxime videtur necessaria, ut tollat indignitatem peccati, & creaturæ pœne æternæ, cum quo non potest simul coniungi meritum de condigno, in personis aut, de quib. nunc tractamus, cessat hæc ratio, ergo etiam cessabit necessitas huius gratiæ ad meritum. Neque refert, si quis dicat, in his personis non posse inueniri meritum de condigno pro aliquo momento, in quo non habeant sanctificationem gratiam. Nam esto hoc ita sit, nihilominus in eis erit gratia habitualis ex merito, & non meritum ex gratia. Probatur, & declaratur (in hoc enim cardo difficultatis versatur) nam in his personis consideratis prius tempore, vel natura, quam iustificentur, ut mereri incipiant, intelligi debent incipere etiam se disponere ad iustitiam, quia supponimus, secundum legem communem illis ratione ventibus non infundì habitualē iustitiam sine appria illorum dispositione. Ad

Declaratur

Ad hanc autem dispositionem non præcedit gratia habitualis, sed auxilians, & actus ab hac gratia procedens prior natura est habitualis gratia, ut supra probatum est. Tunc ergo concluditur argumentum, quia talis actus in tali persona est meritorius de condigno gloriæ, etiam ut est prior natura, quam habitualis gratia; ergo ad tale meritum non est necessaria gratia, sed si statim datur, erit ratione illius, nam qui meretur gloriam, meretur etiam acceptari ad illam. Antecedens probatur, quia actus ille per se spectatus & ut est à motione Spiritus sancti est proportionatus gloriæ: ergo etiam de se sufficit ad meritum de condigno, & ex parte talis personæ nihil est, quod huic merito repugnet, cum sit innocens, & alium de faciendo, quod in se est, cum diuino auxilio, videtur sufficienter operari ad merendum præmium suo actui proportionatum.

9. Neque videtur inconueniens, quod talis homo, vel Angelus in tali statu primam habitualement gratiam de condigno mereri poterit (ut ex dicto discursu aperte sequitur) quia illa non erat prima gratia simpliciter, præcesserat enim prima gratia præuenientia, & adiuuantis auxiliij, non est autem inconueniens per priorem gratiam mereri de condigno subsequenter, quando ex parte personæ non est repugnancia. Et ita etiam non videtur ob stare, quod Augustinus in Enchirid. capite 106. dicit in statu innocentie sine gratia nullum meritum esse potuisse, nam statim gratiam illam diuinum adiutorium esse declarat. Vnde cum cap. 107. dicit, vitam æternam, licet sit merces, vocari ab Apostolo, gratia quia est gratia pro gratia, indefinite intelligit pro gratia sufficiente ad opus condignum, siue illa sit habitualis, siue actualis gratia. Et similiter 12. de Ciuitate. capite nono, cum dicit, Deum creasse Angelos cum amore casto, quo illi adherent simul in eis condens naturam, & largiens gratiam, aperte loquitur de gratia diuini adiutorij, de quo prius dixerat, non potuisse Angelos sanctos, Deo non operante, in se facere voluntatem bonam, & postea dicit, Angelos sanctos plus fuisse adiutos, ut beatitudinem consequerentur. Et in eodem sensu videtur dicere inferius, non tantum ad homines, sed ad Angelos pertinere illud: Charitas Dei diffusa est in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis: nam per charitatem ibi nihil aliud intelligere videtur, quam bonam illam voluntatem, per quam Deo adhæserunt. Vnde potius indicat, per illam potuisse beatitudinem mereri.

10. Nihilominus dicendum est, non potuisse vel Angelum, vel hominem in dicto statu beatitudinem mereri, nisi prius gratia habituali formatos. Ita plane sentit D. Thomas 1. 2. quæstio. 109. artic. 5. nam de gratia habituali loquitur, cum dicit, non posse hominem mereri vitam æternam sine gratia, ut ex discursu quæstionis, & articulorum manifeste constat. Et quamuis non loquatur distincte de homine in natura integra, nihilominus ex eo, quod indistincte loquitur de homine, recte colligimus idem asserere de homine in vtroque statu, tum quia in cæteris articulis distinguit illos status, quando responsio non est communis vtrique, tum etiam quia ratio, quam affert, communis est vtrique statui. Vnde postea q. 114. artic. 2. expresse distinguit vtrumque statum, & duas rationes necessitatis gratiæ ad hoc meritum, vnam ex peccato, aliam ex excellentia finis vitæ æternæ, & hanc posteriorem dicit esse communem vtrique statui hominis, imo & omni naturæ create. Et ita in prima parte quæstione 62. eandem necessitatem in Angelis ponit, si articulus 3. & 4. simul coniungantur. Et idem sentiunt communiter cæteri Theologi, & ex modernis distinguendo etiam vtrumque statum Bellarmin. libr. 5. de Iustificat. cap. 12. & Vazquez 1. 2. disp. 216. cap. 1. Fateor tamen sola ratione non satis aperte conuinci.

Prima ratio sumitur ab inconuenienti, quia aliàs

posset creatura mereri de condigno diuinam filiationem adoptiuam, consequens est absurdum. ergo. Sed quæla profecto euident est, ut probat discursus in contrarium factus. Sed falsitas consequens solum probatur, quia in Scriptura gloria vocatur merces, non autem gratia, ut notauit Augustinus epist. 105. Hæc autem probatio, & sola auctoritate nititur, & præterea responderi posset, Scripturam, & Augustinum loqui de hominibus lapsis. Nihilominus tamen illud principium, quod prima habitualis gratia non cadat sub meritum de condigno, receptissimum est, ut infra videbimus, ideoque illud pronunc supponendo, recte ex illo principio à posteriori colligitur, nullum actum antecedentem ad gratiam habitualement siue tempore, siue natura posse illam de condigno mereri. Sed huius rationem querimus.

Secunda ratio à priori est, quam tradit D. Thom. 1. & sequitur Bellarminus cum alijs, quia finis æternæ beatitudinis excedit naturalem facultatem omnis intellectus naturæ create, & ideo ad meritum illius necessaria sunt opera eiusdem ordinis diuini, ergo etiam requiritur gratia, quæ est talium operum principium. Nam de his dixit Dionysius de Ecclesiasti. Hierar. cap. 2. par. 1. non posse hominem facere diuinum, nisi prius ipse diuinus efficiatur, & Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 2. homines non recte viuere, utique in ordine ad illam beatitudinem, nisi effecti filij Dei. Sed instari potest, quia hæc ratio probat optime necessitatem alicuius gratiæ operantis supernaturale opus illi fini proportionatum. Cum autem hæc gratia esse possit vel actualis, vel habitualis, non videtur inde sufficienter concludi necessitas determinata gratiæ habitualis, quam inquirimus. Hanc vero difficultatem facile effugiet, quemodo qui dicunt, dispositionem ad gratiam procedere ab ipsa gratia, sic enim optime concludit ratio de gratia habituali, quia ipsa est principium necessarium operis meritorij. Nos autem non possumus iuuari hac sententia, quia de dispositione ad iustificationem, prout nunc fit, falsam esse supra probauimus libr. 8. c. 12. & rationes ibi factæ non minus probant de iustificatione pura, seu quæ non fit ex statu peccati, si dispositio talis est, ut vere præparet subiectum ad formam gratiæ, sitque vera causa illius in suo genere.

Posset autem negari, primam iustificationem Angelis, vel hominis innocentis, factam esse hoc modo Media dispositione præparante personam ad gratiam, sed dispositione potius comitante, & ornante, per quam persona voluntarie acceptat gratiam sibi collatam per eandem operando. Et hoc positum optime procedit ratio, quia tunc habitualis gratia est principium actus, à quo potest in tali persona incipere meritum. Et ideo etiam dici potest illa gratia necessaria ad meritum in tali persona, saltem secundum legem ordinariam fundatam in ipsa rei natura, quæ per se postulat, ut eleuatio inferioris naturæ ad operam superioris naturæ, seu diuini ordinis fiat per intrinsecam participationem superioris naturæ. Quod si nunc aliter fit in iustificatione peccatoris, id contingit propter impedimentum peccati, à quo homo adultus prius debet auerti, ut gratiam possit recipere. Et hic modus probabilis est, & in rigore sufficiens ad saluandam hanc necessitatem de lege, supposito illo principio. Verum tamen illud principium valde incertum est. Quia licet non sit ita certum, Angelos, & hominem in statu innocentie iustificatos fuisse per propriam dispositionem præparantem ad habitualement gratiam, & suo modo causantem illam, sicut nunc est in iustificatione peccatoris, nihilominus est fortasse probabilis, quam oppositum, quia ille modus præparationis, & iustificationis est valde consentaneus naturæ intellectuali & liberæ, & est etiam consonus suauis prouidentie Dei, ac denique est valde reconditus à Theologis, ut ex i. p. constat, & nihilominus, concedendum non est, ex illa sententia sequi, Angelos,

los, vel hominem in dicto statu habuisse meritum de condigno ante gratiam, etiam ordine naturæ, aut quod inde necessario sequitur, meruisse de condigno ipsam gratiam.

14. *Verior solutio prædictæ instantiæ.* Quamobrem conandum est, rationem reddere, propter quam primus actus supernaturalis factus ab Angelo, vel homine in illo statu prius natura, quam haberet gratiam habituales non potuit esse meritorius de condigno vitæ æternæ. Ratio autem quæ occurrit, solum est, quia talis actus etiam si supernaturalis sit, adhuc non est satis proportionatus illi fini supernaturali. Quod ut probetur, suppono, moralem actum valorem etiam, & dignitatem moralem accipere à conditione personæ operantis. Hoc patet primo ex morali Philosophia, quia persona operans est una ex circumstantiis operis, quæ bonitatem eius, vel malitiam aggravare solet. Secundo habemus certum theologicum exemplum in operibus Christi Domini, nam ex dignitate personæ habuerunt proportionem, & infinitum valorem ad merendum. Tercio hac ratione dictum videtur Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, ad indicandum, ut ait Gregor. 22. Moral. cap. 8. alius 12. non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuisse. Et inter homines etiam constat, qualitate personæ multum referre ad æstimationem doni, beneficii, aut obsequij ab illo oblato. Hoc ergo principio supposito, dicimus ad meritum de condigno vitæ æternæ non satis esse quod operatio in se, & (ut sic dicam) in sua substantia considerata proportionem habeat cum vitæ æternæ, sed necessarium etiam esse, ut procedat à persona illi fini proportionata, atque adeo quod etiam ex habitudine ad personam operantem habeat condignitatem ad illum finem quasi completam. Nulla autem creatura intellectualis pure sumpta habet proportionem cum æterna vitæ, & ideo licet eleventur per auxilium ad supernaturaliter operandum, quantum ex se est, non confert operi condignitatem respectu tam excellentis præmij. Et hoc confirmant illa testimonia Scripturæ, quibus probavimus neminem posse mereri de condigno vitam æternam, qui non supponatur filius, & hæres eiusdem vitæ æternæ, quia cum in se non habeat naturam illi fini proportionatam, non habet dignitatem personæ tali merito proportionatam. Et hoc magis in sequenti dubitatione declarabitur.

15. *Dubium an necessitas ad gratiam habituales sit tanquam de lege ordinaria, seu ex natura rei, vel etiam de potentia absoluta.* Aliqui enim absolute affirmant, utroque modo esse intelligendum, meritum sit quod sentit Ferrar. 4. contra gent. capite 157. in fine omnimoda? ita interpretans Divinum Thomam, & citans Capreolum in 1. dist. 17. Potestque hæc opinio fundari in discursu facto, quia gratia est quali forma complens operis condignitatem, & proportionem: ergo sine illa damentum. non potest esse opus proportionatum, neque habere valorem ad meritum de condigno. Alij vero absolute negant esse gratiam habituales necessariam ad hoc meritum de potentia absoluta, quod tenet Cajetanus 1. 2. quæst. 114. articulo 2. & sumitur ex Scoto in 1. distinct. 17. quæst. 2. & Gabriel ibidem quæst. 2. & Marfil in 1. quæst. 20. Qui generaliter loqui videntur, etiam de operibus non factis ex auxilio gratiæ, & factis ab homine, qui antea erat in peccato, & solum videntur fundari, quia Deus ordinatione, & acceptatione sua potest supplere id, quod nunc per gratiam creatam confert. Nos vero nunc loquimur de operibus procedentibus ab auxilio gratiæ, & ex substantia, seu qualitate sua habentibus cum præmio proportionem, nam de operibus inferioris ordinis, infra dicemus.

16. *Authoris iudicium distinguens.* Sic ergo distinguendum censo iuxta duos sensus assertionis positæ in n. 3. Nam si homo supponatur in statu peccati, & remissionem eius fieri formaliter per Pars 3.

inhærentem gratiam habituales, & non aliter, sic censo non posse talem hominem esse de potentia absoluta mereri de condigno vitam æternam sine habituali gratia. Quia sine illa non auferatur peccatum, ut supponitur, quamdiu autem manet homo sub peccato, est prorsus incapax meriti de condigno apud Deum propter rationem factam, quod non potest simul esse ex rigore iustitiæ dignus indignatione Dei, & carentia beatitudinis, & simul amorem Dei, & beatitudinem de iustitia mereri. Dixi autem supponendum esse, peccatum auferri per habituales gratiam, & non aliter: nam si supponatur, quod Deus alio modo vere auferat peccatum, tunc iudicandum esset de tali homine, sicut de innocente, qui nunquam peccasset. Loquendo ergo iuxta secundum sensum assertionis de homine, vel Angelo innocente, ex ultimo necessitate gratiæ habituales ad meritum non esse intelligendam de potentia absoluta, sed de ordinata, & attendenda talium rerum natura. Ratio est, quia supposita in tali persona conversione supernaturali ex auxilio gratiæ, solum deest tali operi quædam moralis dignitas, quam haberet ex habitudine ad personam operantem, si esset sanctificata per gratiam: hæc autem carentia perfectionis vel non est tanta, quin supposito pacto, & promissione Dei sub conditione talis operis, in illa sufficiens proportio, & condignitas inveniatur, quamvis non esset unde quæque perfecta, & quasi connaturalis, vel certe posset Deus sua extrinseca ordinatione illum quasi defectum sufficienter supplere, quia necessario elevaret hominem illum ad eum statum, in quo consequi posset vitam æternam, si quod in se est, faceret cum auxilio tibi præparato: ille autem status ad dignitatem moralem talis personæ pertinere censeretur, imo ad quandam illius sanctificationem. Nam in superioribus ostendimus, hoc totum posse Deum facere de potentia absoluta line habitibus inhærentibus, vel per solos actus: ergo id etiam satis esse posset, ut actus supernaturalis à tali homine factus redderet illum dignum vitæ æternæ, & consequenter ut esset meritum illius. Et hanc partem sequuntur frequentius moderni Thomistæ in dicta q. 114. art. 2. Et inde tandem intelligitur, cur dicatur gratia habituales ex lege ordinaria, & quasi connaturali esse necessaria ad hoc meritum, quia nimirum nec sanctificatio personæ, neque ordinatio eius ad beatitudinem secundum statum præsentis temporis sit modo connaturali, nisi per inhærentem gratiam habituales, ut in lib. 7. visum est.

Et per hæc satisfactum est rationibus dubitanti- 17. di circa hanc posteriorem partem à nobis propositis, *Ad Baij san-* Negamus enim esse in actu etiam supernaturali, sed *dament. in-* clusa gratia personæ operantis, sufficientem propor- *num. 1.* tionem, & valorem moralem ad meritum de condigno. Idemque responsum evidentius applicatur ad fundamentum Baij, negamus enim tantam proportionem esse in actu peccatoris ad meritum, quanta est in opere iusti, etiā si ex parte operis sit æqualitas in his, quæ ad substantiam, vel honestatem, aut libertatem actuum pertinent, solumque sit diversitas in conditione personæ, ut iam probatum est. Ad loca vero Scripturæ respondemus, in primis non oportere, ut Scriptura in singulis locis explicet omnes conditiones, ad meritum necessarias, & ita in illis locis licet tantum exprimat necessitates operum, non excludi necessitates gratiæ, quæ in alijs locis docetur. Deinde addimus, opera esse quasi proximum (ut ita dicam) subiectum meriti, & demeriti: nam illa quasi formaliter constituunt hominem dignum præmio, vel poena, & ideo merito dicuntur homines iudicari secundum opera. Hoc autem non obstat, quominus ipsa opera ex circumstantiis personæ operantis augeri possint, vel minui in valore morali ad meritum, vel demeritum necessario. Unde in comparatione, quæ videri fit inter meritum, & demeritum partim falsum assumitur, partim non recte colligitur. Absolu- R r lute

*Ad i. con-*  
*firmit. ex*  
*Scriptura.*

lute namque falsum est, conditionem personæ non conferre ad meritum, nam peccatum commissum à persona publica, vel digniori ex ea parte grauius esse solet. Deinde non est eadem ratio de merito, & demerito, quia meritum habet rationem boni, & ideo plura, & perfectiora requirit, & quod omnia simul concurrant, quia bonum ex integra causa, ad demeritum autem, quod habet rationem mali, quilibet defectus sufficit. Et ideo ad demeritum necessarium non est, ut persona supponatur iusta, vel iniusta, quia in ipso actu peccati est sufficiens defectus ad expellendam iustitiam, si præerat, vel ad augendam iniustitiam, si iam præcellerat: in merito autem speciali ratione dignitas personæ requiritur, ut diximus. Eo vel maxime quod homo per se ad peccandum sufficit, ad merendum autem minime, nisi prius à Deo sanctificetur.

18.  
Ad 2. con-  
firm. ex  
August.

Ad primum testimonium Augustini respondetur, ipsum in illo cap. 6. non loqui de lege naturali, prout dicitur esse in naturali lumine rationis, sed de lege incommutabili, & æterna, prout est in mente Dei, quæ complectitur etiam illam legem, quam dicere possumus esse connaturalem gratiæ. Vnde per illam legem absolute, & generaliter statutum est, ut debita præmia condignis meritis reddantur, tamen illa eadem lex aliud meritum, & cum alijs conditionibus statuit necessarium ad præmium vitæ æternæ, quam ad alia inferiora, & humana, atque ita est ad singula, iuxta vniuersalemque conditionem applicanda. Ad aliud vero testimonium ex libr. de Natur. & grat. cap. 2. respondetur, intentionem Augustini eo loco esse ostendere contra Pelagianos, non posse hominem per suam naturæ vires totam legem implere, & omnia peccata vitare, quia alias Christus gratis mortuus esset, quam illationem cum Paulo fecerat in cap. 1. Illam autem probat in secundo, supponendo illam hypotheticam propositionem, quod si homo potest sibi sufficere ad seruandam totam legem, & implendam iustitiam, etiam sibi sufficere ad præmiū vitæ æternæ obtinendum. Vnde falso putatur, sensisse Augustinum, obseruationem legis sine gratia sufficere ad meritum vitæ æternæ, cum potius hoc inferat tanquam inconueniens contra Pelagium, supponendo aliud principium, quod ex verbo Christi certum est, seruantes mandata, ad vitam ingredi sempiternam: tamen hoc ideo est, quia, ut seruentur mandata, præcedit gratia, ut idem Augustinus dixit libr. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 2. & in alijs locis supra citatis.

## CAPVT XV.

*Utrum ad meritum necessarium sit, hominem esse viatorem?*

1.  
Communis  
sententia  
affirm.

Quomodo  
Script. pro-  
betur.

Conueniunt fere omnes Theologi, vnam ex conditionibus necessarijs ad meritum ex parte personæ merentis esse statum viatoris. Ita docet Diuus Thomas 1. p. quæst. 62. art. 9. & 3. p. q. 19. art. 3. Alexand. Alenf. 3. p. quæst. 17. art. 2. in corpore, & communiter Theologi in 3. distin. 18. tractando de Christi merito, Bonauent. art. 1. q. 2. ad ult. Scotus q. vnic. in fine corporis ante §. Est igitur, Durand. q. 2. Gabr. q. 1. art. 1. notab. 2. licet addat limitationes, quas infra expendemus. Idem repetit artic. 3. dub. 1. ad 3. & dub. 4. Idem Albert. ibi art. 2. ad 1. & 3. Richard. art. 1. quæst. 1. Almain. Argentin. & alijs, & Martil. quæst. 12. art. 1. Et restringendo quæstionem ad homines, prout nunc mereri possunt de condigno apud Deum, colligitur hæc resolutio ex illis Scripturæ locis, in quibus dicitur iudicandos esse homines, & accepturos præmium, vel poenam secundum opera, quæ in corpore fecerunt. Item illa, quæ monent, ante mortem, vel vsque ad mortem iustificari, seu opera iustitiæ facere, ut Ecclesiasti. 11. 14. & 18. & alijs similibus, quæ cum testimonijs Patrum recte 3. p. tom. 1. disput. 39. sect. 3. poss. 3.

conclus. quibus addi potest Hieronym. in epist. 151. ad Algasiam q. 6. vbi tractat parabolas de villico Lucæ 16. & colligitur ex verbis illis conclusionis parabolas: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defueritis recipiant vos in æterna tabernacula, & idem Hierony. Ecclesiasti. 9. tractans illa verba: Melior est canis viuens leone mortuo, sic exponit: Donec viuunt homines, posse fieri iustos post mortem vero nullam boni operis dari occasionem, & iterum infra, viuentes possunt bona opera perpetrare, utique meritoria, mortui vero nihil valent ad id adijcere, quod semel secum tulere de vita. Et apud Prosperum est sententia Augustini 172. Frustra sibi homo post hoc corpus promittit quod in hoc corpore comparare neglexit. Et propterea etiam videtur Christus Dominus dixisse Ioannis 9. Venit nox, quando nemo potest operari, utique meritorie, & cum fructu, per noctem enim mortem, seu statum post mortem intelligit. Dixerat namque, me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, vbi per diem intelligit tempus præsentis vitæ mortalis, ut cū Augustino, & alijs ibi notat Maldonat. in quæ etiam ipse tantum meruit. Vnde in eodem sensu adiungit generalem sententiam, neminem posse in nocte operari. Vide Chrysostom. homil. 2. de Lazaro, & homil. 37. in Matth. Ratio autem huius veritatis pendet ex sequenti dubitatione.

Oportet igitur exponere, quid per statum viæ intelligendum sit: nam si hoc non constet, neque ratio propria reddi potest, cur talis status ad meritum requiratur, nec etiam explicari poterit, quantum duret tempus merendi, quod per hanc conditionem præcipue intenditur. Igitur generaliter loquendo de via, & termino, tempus viæ propriè durare dicitur, quamdiu non est peruentum ad terminum, quod maxime verum est, quando via successione habet, ut est in presenti. Ita ergo status viæ in presenti dicitur totum tempus, in quo non est peruentum ad terminum. Statim vero interrogandum occurrat, quis sit iste terminus? Ad quod primo responderi potest, non esse vnum terminum singularem, & absolute designabilem, sed respectiue esse accipiendum. Nam omne præmium alicuius meriti est terminus, respectu illius, quia meritum est via ad præmium. Vnde respectu vniuersiusque præmij tamdiu dicitur aliquis esse in statu viæ, quamdiu præmium non obtinuit, nec factus est incapax illius, & ita respectu visionis beatæ dicuntur esse in via qui illam obtinere possunt, & nondum obtinuerunt, & respectu alicuius augmenti gratiæ, qui illud non obtinuit, dicitur esse in statu viæ respectu illius, secus vero erit de illo, qui talem gradum augmenti consecutus est, iam enim non est in via respectu illius, etiam si aliquid aliud mereri possit. Et iuxta hunc sensum facile patet ratio huius conditionis, nimirum, quia meritum debet antecedere præmium, nec potest quis mereri, quod iam habet. Et hac ratione vtitur Durand. supra, in qua hunc sensum indicat. Gabriel etiam vbi supra, inde infert, beatos non esse in statu merendi, respectu beatitudinis, quam iam habent, tamen ex se adhuc esse in statu merendi vel sibi, vel alijs, quæ non habent. Et in eodem sensu videntur fundati Alenf. Bonauent. & alijs, qui dixerunt, sanctos Angelos, & homines non posse mereri beatitudinem essentialem, posse autem accidentalem, quia respectu illius iam sunt in termino, cum illam habeant, & augeri non possit, respectu vero alterius adhuc sunt in via, quia nondum illam habent, & illam possunt acquirere per aliqua opera, vel ministeria, quæ extra beatitudinem exercent. Et declarari potest exemplo Christi Domini, qui respectu suæ visionis beatificæ, à principio fuit extra statum viæ, & ideo illam mereri sibi non potuit, & nihilominus respectu gloriæ sui præditi corporis, & aliorum fuit in statu viæ.

Nihilominus hæc explicatio mihi non placet, quia rationem carentia alicuius perfectionis, quæ aliquando potest per meritum acquiri, non est sufficiens ratio ad con-

stiruen